

5728.

1694, 3  
34 27

DISSERTATIO JURIDICA,  
DE  
**USURIS, EA-**  
**RUMQUE ACEJUS QVOD**  
**INTEREST DIFFERENTIA,**

*Ad Lib. IV. Tit. II. Jur. Provinc. Pruten.*

Quam  
**DIVINIS AUSPICIIS**

EX  
**DECRETO AC AUTORITATE MAGNIFICI,**  
*IN ACADEMIA PATRIA,*

**JCTORUM ORDINIS,**  
PRO  
**RECEPTIONE IN FACULTATEM**

*Publicæ eruditorum Censuræ  
submitte*

PRÆSES  
**HENRICUS Schönfeld/**  
U. J. D.

RESPONDENTE  
**CHRISTOPHORO SCHIMMELPFENNIG,**  
Reg. Pruss.

D. *Septemb. A. O. R. M DC XCIV.*  
Horis & loco consuetis.

34.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.



SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
PRINCIPIS ELECTORIS BRANDENBURGICI

&c. &c. &c.

Summis in Prussia Regentibus & Consulariis

Status Eminentissimis,

VIRIS

PERILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS ET GENEROSISSIMIS

DOMINIS

DN. JOHANNI ERNESTO

à WALLENROD,

Supremo Provinciæ Magistro,

Hæreditario Domino in Preckelwitz/ Aldstett/ Königssee/ Ziegelack/  
Neuendorff/ Wilkienen/ Stollen/ &c. &c.

DN. GEORGIO CHRISTO-

PHORO Sinc à Sinckenstein/

Burggrabio Supremo,

Hæreditario Domino in Roggenhausen/ Linckehnen/ &c. &c.

DN. GEORGIO FRIDERICO

à Kreyken/

Prussia Cancellario & Summi Tribunalis Præsidi gravissimo,

Hæreditario Domino in Westlinen/ Pöhren/ Wolfshöfen/ &c.

DN. OTTONI WILHELMO

à Perband/

Supremo Marschallo,

Hæreditario Domino in Liffen/ Nauten/ Grescheinen/ &c. &c.

*Domini suis Gratosissimis,*

Gratiam eorum sibi studiisque suis fœneraturus hoc  
quicquid est de usuris inter pia omnis felicitatis vota

D. D. D.

HENRICUS Schönfeld/ D.



Suræ vocabulum ab *utendo* descendens idem  
sape ac *usum* denotat, ut cum lucis, vitæ ac  
temporis usuram apud Ciceronem aliosque  
legimus. Ulu tamen deinde

*Quem penes arbitrium est & vis & norma  
loquendi,*

receptum, ut pro *mercede usus*, ut quidem videtur, hæc vox ve-  
niret; quemadmodum vecturæ vox frequentius ipsam vectio-  
nem, subinde mercedem illius, naulum nempe s. *Φόρητον* de-  
signat in *L. 62. D. de R. V.* Observatum tamen Gronovio aliisq;  
haud malè fuit, veteres usuræ vocabulum numero singulari de  
usu, plurali verò de accessione quantitatis communiter magis  
usurpasse; quæ cum veniâ lectoris talia nauseantis præmississe  
licuerit.

II. In sensu itaque hoc Juridicò non unò iterum modò  
vox ea sumitur. Vel enim (1) accipitur pro incremento &  
accessione ad quantitatem ex quocunque contractu vel nego-  
tio debitam *L. 17. §. 4. l. 32. §. 2. de usur. l. 2. C. Deposit.* ac tum  
nomen generis retinet vel (2) pro incremento, quod mutuo  
accedit in eodem genere *L. 23. C. de usur.* atque hoc in specie  
*fœnus* appellatur *L. 16. l. 26. §. 1. ibi: specierum fœnori dationibus  
C. de eod.* (3) Usura enim præsertim Jure Canonico & illud  
dicitur, quando præter mutuo datum vel certas operas, vel aliud  
quodcunque pretio æstimabile ac temporale mutuarius præ-  
stare tenetur *c. 1. 2. 3. caus. 14. quest. 3.* cum Jure Civili si alterius  
generis fors, alterius iterum accessio sit, propriè loquendo non  
usura, sed aliquid datum vel promissum vice usuræ dicatur. *L. 14.  
C. d. t.* (4) Denique sumitur pro augmento pecuniario quod  
mutuo nummario accedit, & hoc in sensu specialissimo fœnus

appellatur, quanquam vox fœnoris interdum & sortem ipsam cum accessione simul notet ut in *L. un. C. de iis qui ex officio quod admist.* quandoque etiam totum negotium fœneratorium.

III. Dividitur usura à Canonistis in mentalem & realem. *Mentalem* vocant, quando mutuans citra ullam conventionem eâ mente dat, ut ultra sortem, seu id quod dat aliquid recipiat, aliàs non daturus. *Realis* verò iis est, quando quis mutuò dat cum pacto capiendi aliquid lucri ultra sortem. Tralatitium etiam est, usuras à Ddbus communiter in lucratorias compensatorias & punitorias dividi. *Punitoria* Doctoribus vocantur, quæ in *contractibus bonæ fidei*, quando *quantitas* subest, præstantur vel 1. propter *culpam*, ut cum pecuniam alienam ex contractu vel quasi penes se existentem fœnori cum deberet & posset non dederit alter *L. 24. C. de usur.* Vel 2. propter *dolum*, ut si alter in suum usum converterit pecuniam contra fidem contractus *L. 1. §. 1. ff. eod. L. 10. §. 3. Mandat.* Vel 3. denique ac potissimum ob *moram* *L. 32. §. 2. de usur.* sic si emtorre ei jam traditâ pretium non solverit, ad usuras pretii post diem traditionis tenetur *L. 13. §. 20. ff. l. 5. C. de A. E.* In mutuò verò ut & aliis *stricti juris contractibus* usuræ hæ ob *moram* non debentur, ne quidem post litem contestatam *L. 3. C. de usur. l. 1. C. de condict. indeb.* *Compensatoria* vocant, quæ præstantur propter usum æris alieni & propter commodum quod inde creditori decedit, debitori verò accedit, tractâ in hanc rem *L. 56. §. 6. ff. ad Scit. Trebell.* *Lucratoria* dicuntur, quando ab initio ac ipsius mutuationis momento lucrum certum ac definitum stipulamur. *Bachovius* tamen *ad Wesenb. b. t.* non malè putat, punitoriâ, quam vocant, usuram commodè ad compensatoriam revocari posse, quòd creditor, si suò tempore pecuniam accepisset, censeatur lucrum facere aut damnum avertere potuisse, indeque in compensationem interceptæ per *moram* utilitatis magis, quam

quam in pœnam admiffæ moræ punitorias has ufuras præftari; ut vix admittendum videatur, quod *Mevius P. 2. Decif. 162.* putat, eodem cum forte loco has (punitorias) non effe collocandas, quod pœna fînt; ipfemet enim & has ipfas in locum intereffe fûrrogatas effe, adductâ ad hoc *L. 29. §. 2. de edil. edict.* haud obfcurè docet *P. 7. Dec. 2. n. 5.* quocum etiam convenit *Pr. Land R. L. 4. tit. 2. §. 3.* omnes indiftinctè licitas ufuras tanquam taxatum intereffe pari cum forte loco collocandas effe jubens. Sed & ipfas lucratorias ufuras in præfumptô intereffe fundari, ex infra dicendis plenius patebit; ut adeò totâ hâc diftinctione, nifi fummorum *Jctorum*, *Carpzovii*, *Mevii* aliorumq; autoritati hîc aliquantum deferendum effet, tutò carere liceat.

IV. His ita præmiſſis opportunè feſe fiſtit quæſtio, *An omninò aliquid amplius ultra mutuo datum citra crimen accipere vel exigere liceat?* Quod affirmare, Pontificem *Clementem V.* in cap. un. *Clem. de uſur.* hæreticos declarantem qui pertinaciter præſumant affirmare, uſuram exercere peccatum non effe, non magis veriti quàm eos, qui uſurarum patrociniûm inter ſigna extremi iudicii prognoftica referunt, (*Videatur Job. Agric. annot. in Luc. c. 21.*) profus non dubitamus. Equidem non diſſimulo pia admodum eorum vota effe qui cives omnes ita moratos ac generoſos vellent, ut gratis opem ferrent aliorum neceſſitatibus, in lucrum imputantes eorum gratiarum actionem ac auctuarium à ſolo Deo expectantes, prout etiam piè admodum *Sereniffimus Pruffiæ LLtor* optat, ut *de abundantia opum à Deo conſeſſarum citra uſuras alter alteri ſubveniret Lib. 4. Jur. Prov. Prut. t. 2. §. 1.* Quandoquidem verò non cum perfectis vivitur hominibus, ſed quibuſcum benè agitur, ſi ſint ſimulacra virtutis, ut *Cicero* loquitur, ac numerò valde pauci ſint, qui ad eam ſpiritus ſublimitatem ſe elevent, quosque virtus huc ducat, ut de hoc ipſo argumento loquitur *Leo Imperator*

tor in Nov. 83. (quæ omninò conferri meretur;) *usuram moderatam non tantùm citra detrimentum ac noxam Reip. prohiberi non posse* cum laudato Imperatore ac Sereniss. Prussia LLtore cc. ll. *sed etiam citra crimen ac peccatum eam tutò exigì posse* cum Carol. Molinæo, cordatò Jcto Gallò, *Tractat. de usur. n. 10.* (quem malum hac in re Theologum vocat pejor ipse *Antb. Faber L. 4. Cod. sub tit. 24. def. 2. n. 5.*) intrepidè statuo. Fac enim usuras tolli, annon necessitas imponetur ære præsentis destitutis possessiones suas indignò sæpè ac infra dimidium longè subsistente pretiò dimittendi, nullò existente, qui sine lucro qualiquali pecuniam egenti surrogaret debitori. Usuram si sustuleris, parum abest, quin pupillis viduis, senibus aliisque negotiationi haud sufficientibus tolerandæ ulterioris vitæ subsidia sustuleris, sterilibus nummis eorum intra paucos annos in alimenta insumtis. Conf. *Pr. LR. l. c.*

V. Sed & alterum, nimirum, *usuram citra crimen ac peccatum exigì posse* in proclivi est ostendere. Equidem sunt, qui subjecto argumento, à comparatis, ut credunt, paribus petito, mirum quantum sibi placent: Si pro usu ædium alteri concessio licet lucrum non injustè capere, aut pro nave vel rheda alteri locatâ pensio certa non injustè exigitur: quidni perinde æquum fuerit & pro pecuniâ alterius usibus concessa lucrum ac usuram requirere? Sed parum apud prudentes rerum censors præstiterint. Primò enim ædes, navis ac rheda *per se* conductoribus utilitatem ac commodum præstant; domus quidem commodum habitationis, navis ac rheda verò vectio- nis; at lucrum negotiando à debitore quæsitum non à *re ipsâ* vel pecuniâ est, sed potissimùm ex *operâ ac industriâ* descendit ut benè loquitur Jctus Paulus in *L. 8. ff. pro sociò*. Deinde etiam domus, navis rheda &c. usu atteruntur ac veterascunt, indeque rei principali sensim aliquid decedit, in mutuo autem fors integra, haud imminuta ac æque bona restituitur. Accedit



dit & hoc, quod res hæ conductæ locatoris periculo sint eique pereant, quod periculum non sustinet creditor pecuniæ vel rerum fungibilium, utpote quæ debitori pereunt, quique, si maximè totius sortis damnum fecerit, ad restitutionem tenetur. Quantum vero periculi susceptio ad usuras præstandas momenti habeat, vel ex solâ pecunia trajectitiâ evidens redditur, in qua propterea usuræ gravissimæ, centesimæ nimirum admittuntur; Conferatur *Chrysostr. vel quisquis autor est in c. 21. Matth. hom. 38.* relatus in *c. 11. dist. 89.* qui aliter adhuc huic argumento occurrit. Ut adeò justius longè pro re locata quam mutuò datâ pecuniâ lucrum aliquod accipiatur.

VI. Rectius fortè exinde usurarum justitia deducitur; quòd, cùm (1) in dubio, ubi in meliorem semper partem debet fieri præsumtio, quilibet rerum suarum ipsemet indigere & ex earum usu vitæ subsidia quærere præsumendus sit, ac (2) tantum quisque rerum suarum detrimentum capiat, si iis non utatur aut uti nequeat, eò, quod penes alium sint, quantum emolumenti, si ipse iis uteretur sentiret, nec (3) quisquam teneatur suo cum incommodo aliorum commoda promoverè, ipsò Apostolo iudice, qui *ita nos aliis commodare vult, ne nobis sit afflictio 2. ad Corintb. 8. v. 12.* justè tantum in compensationem quisque deposcere possit, quantum ei utilitatis ob cessantem rerum suarum usum decessit. Sed, cùm ob varietates casuum ac personarum dignosci accuratè, certè probari expeditè haud possit, utrum reverà damnum aliquod utrum majus minusve faceret, cujus pecunia, frumentum, vinum &c. ab alio possidentur: jura satius esse crediderunt, certi aliquid, quod egredi non liceret, creditori pro interceptâ à debitore rerum suarum utilitate assignare, quàm ambiguâ eum probatione ejus quod interest onerare; unde natæ usuræ. Quas non injustas esse ulterius etiam exinde patet, quod cùm nihil naturæ convenientius, quàm gratiæ gratiam referre ac pro beneficiis beneficia reddere

dere: (gratia siquidem ex veteri verbo gratiam alit,) non sufficere videatur reddidisse id quod acceperis, sed oporteat etiam augmentum acceptis addere. Etsi enim satisfactum sit legi contractus reddendo tantundem, quantum acceperis, non tamen satisfactum officio, nisi reddendo etiam amplius cum possis. Fallor annon naturæ ipsius dictatum sit istud Hesiodi dictum:

Ἐν μὲν μετρήσθαι ὡς δὲ γείτων, ἔν δ' ἀποδῆναι

αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λωϊὸν εἶχε δύνῃαι,

quod Cicero I. de Off. ante med. ita reddidit:

*Bonum est ea quæ acceperis utenda*

(eâdem, imò) *Majore mensura, si modo possis, reddere.*

Cùm verò pauci admodum sponte sua ad hunc naturæ ductum vitam ac actiones suas componant, non iniquum erit obligationum vinculis eos ad hoc adstringere ac obligationem hanc naturalem, ut vocant, in civilem ac necessariam convertere. Ac tantum de Jure naturæ.

VII. *Jus Divinum* quod attinet, etsi diffiteri nequeamus, atrocibus passim verbis usuras notari famosumque earum in sacris nomen esse ut *Exod. 22. v. 25. § 27. Lev. 25. v. 35. seq. Deut. 23. v. 19. Proverb. 28. v. 8. Ezech. 18. v. 8. 13. 17. § alibi.* Non tamen simpliciter eas improbari vel hoc argumento esse potest, quod Deus *Deut. 23. v. 20.* ab extraneis fœnus accipere permiserit populo suo, quod fieri haud potuisset si usura simpliciter & per se peccatum foret. Quæ enim per se peccata sunt, non permittit Dominus, ne quidem ad finem bonum, sed omninò, omniq; loco, tempore & omnibus hæc turpia sunt, nec etiam (2) oportet in extraneos, utpotè quibuscum æque naturalis conjunctionis necessitudo nobis est, talia, quæ jus naturæ offendunt, admittere. Ac nimium fortè est, quod *Ambrosius lib. de Tobia cap. 15. relatus in can. 12. Caus. 14. quest. 4.* inquit: *Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere;* nec enim sine crimine extraneus, præterquam in bello, occidi potest. Hebrææ verò

verò genti, eò quòd naturali ferè vitiò ad fœnoratitia lucra, ut vel ex gentis ejus reliquiis videmus, nimium propenderet, Divinum Numen *forensi ac politica lege omnem inter se fœnorandi occasionem generali interdiciò præcludere maluit, quam relinquere, unde pravâ indole ac svavi desiderio ad iniqua lucra prolabi posset.* Quanquam nec desint, qui statuant, nec Hebrais quidem inter se fœnerari prohibitum fuisse, hoc solùm vetitis, ne à *fratre paupere* usuram aut pignus accipiant, quod probant per textum *Exod. 22. v. 25.* ex quo generaliores textus putant restringendos.

IIIX. Textus *Novi Testamenti*, quem ex *Luca 6. v. 34. seq.* Pontifex *Urbanus III. in cap. consuluit x. de usuris* contra usuras detorquet, nihil prorsus ad rem facit. Christum enim ibidem loqui de *mutuo*, ut loquuntur Theologi, *elemosynario*, quò citra spem & intentionem ipsius sortis recipiendæ egeno succurrimus, abundè indicant verba proximè antecedentia: *nam & peccatores dant mutuum peccatoribus, ut paria recipiant,* quæ verba utiquè de *sorte* accipienda sunt; qui enim usuras accipit, non paria, sed plus, quàm dedit, accipit. Eleganter locum hunc *Lucae* explicat *Basilius Magnus homil. alterâ in Psal. 15.* dicens: *Quod autem Domini consilium est? Mutuum date iis, à quibus accipere minimè speratis. At quale, inquis, hoc mutuum, cui non reddendæ spes conjuncta est? Intellige dicti virtutem, & legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi daturus es, Christi causâ, idem ipsum & donum, & fœnus est. Donum, ob receptionis spem nullam, mutuum verò, ob Domini munificentiam pro illò reddentis, qui parva quidem per pauperem accipiens maxima pro ipsis retribuet. Qui enim pauperum misereatur, Deo fœneratur.* Hæc ille.

IX. De *Jure Canonico interesse*, quod occasione mutui vel ex morâ debitoris habet creditor, petere nullo modò prohibetur, inprimis verò interesse *damni emergentis*, quantum-

B

cunque

cunque fuerit probatum, expresse eompensandum jubet Pontifex Gregorius IX. in cap. *Dilecti* 17. x. de foro compet. Num verò & interesse *lucris cessantis*? dubito, ob textus deficientes. *Usura* verò tantum non per omnes canones ac capitula, in quibus earum fit mentio, infamibus vocibus notantur, usurarum crimen passim vocantur, *usurarum vorago, que animas devorat & facultates exhaurit* cap. 1. de usur. in 6to ac inter delicta proximò quasiq; competenti pòst furtum locò de iis agitur. Nimirum, cum ratione fori interni conscientia, quod Canones respiciunt, certum esse non possit, ob moram debitoris vel usum pecuniæ meæ, dum ex hinc damnum contraho vel lucrum mihi subducitur, mihi præcisè *quinque vel sex annua* ex patrimonio meo subduci, vel potius me quinque illa vel sex in centum lucrari potuisse: (Conf. cap. 6. x. de usur.) *definitam quantitatem* sc. 5. vel 6. in centum simpliciter approbare noluerunt; sed tutius esse crediderunt ratione conscientia, vel creditorem adstringere ad probandum interesse, si quod habet, vel, si difficultati huic innecti nolit creditor, recentiores Pontificum *Martini V. & Calixti III.* Constitutiones cap. 1. & 2. Extrav. Comm. de emtione & vendit. modum invenerunt per Recess. Imperii de anno 1548. tit. von wiederkäuflichen Guldverschreibungen / & alios Recessus confirmatum, quò per *emtione venditionem reddituum annuorum*, & quidem non plus quàm 5. pro centum pendendo, debitori pariter ac creditori consuleretur. Quandoquidem verò Jus Canonicum in erroneâ suppositione, quasi *utriusque Testamenti paginâ* damnetur usura, sese fundat, ac iuncta probatio ejus, quod interest, ceu summè difficilis quemq; à mutuo dando revocat: meritò hoc in passu est deserendum. Consentit *Carpz. Jurispr. Confist. defm. 319.*

X. De Jure *Justiniano* vix dubitari posset, usuras esse permissas, cum tot constitutionibus earum quantitas sit determinata, nisi dubium moveret *L. 8. §. 3. C. de SS. Trinitat.* qua lege

qua-

quatuor concilia universalia se approbare profitetur Imperator, ex quibus *Nicenum* usuras prohibuit *c. 3. dist. 47.* Sed præterquam, quod dici possit, Conciliò hòc usuras *centesimas* tantum, utpote gravissimas, easque solis Clericis interdictas fuisse; si tamen vel maximè omnes indistinctè usuræ omnibus interdictæ essent, *expressâ* tamen Justiniani sanctione ab hâc *sacritâ* ipsius voluntate fuisset recessum.

XI. Tametsi verò crimen haud sit usuras accipere, incidere tamen in crimen facilè potest, si quid circa usuras fiat charitati proximo debitæ contrarium. Quod ne contingat, *trium* potissimùm *ordinum* homines discerni convenit. *Primò* sunt homines prorsus inopes ac ita miseri, ut non nisi ex eleemosynis vitam tolerare possint, ac iis dandum cum animò ne quidem sortem recipiendi, etsi pro conditione personarum etiam quandoque largior ac major fuerit, ita ut, quod *dextra porrigit, nesciat sinistra Matth. 6. v. 3.* *Alii* tenuis iterum fortunæ sunt, ac rei familiaris angustiam multum pressi, ut pecuniâ creditâ non cum lucro fruantur, sed in summam sui familiæque necessitatem ac sustentationem impendere necessum habeant, & ab his justè quidem sors repeti potest, modò non durius in exigendâ eâ cum debitore paupere agatur, in tantum, ut impius etiam sit debitor, si sortem reddere detrectet, juxta illud Psalmistæ: *Impius mutuum accipit & non solvit:* usurâ tamen prorsus gravandi hi non sunt. Prorsus eximia iterum sunt, ac hùc apprimè faciunt, quæ habet *Basiliius M. c. supra locò,* dum inquit: *Officium tuum fuerat hominis oppressi egestatem consolari, tu verò potius adauges, fructum ex homine destitutò qualemcunque comparando: Veluti, si quis Medicus ad aliquem laborantem accedens, loco remedii ac reddendæ sanitatis, id, quod ei virium restabat auferret, & tu inopum calamitatem vectigalem & provenituum materiam tibi constituis. Et paulo post: An ignoras quod major peccatorum tibi exurgat acerbus, quàm sit accessus opum,*  
B 2 *quem*

quem ex usuris venaris? H. I. Tertii denique generis sunt, qui possessiones sufficientes tenent, quibusve de suo satis est, sed vel negotiationis exercendæ ac lucrifaciendi, vel bona augendi, servandi, meliorandive causa pecuniam accipiunt eoque fructu potiuntur: ac hi nullâ injuriâ moderatis subjiuntur usuris. Cavendum tamen & hic sedulò, ne quid usurarum nomine exigamus, quando nihil planè nostra interest; etsi enim id jura fortè indulgeant, cum leges non in singulas personas sed generaliter ferantur *L. 8. ff. de LL.* indeque nec omnia minutim comprehendere possint; *conscientiæ* tamen lux ut quisque rationem habeat in diversò graviter ingerit Imperator *Alexander* in *L. 5. C. de religios. & sumpt. fun.* cogitandumque, quod *multa vetet pudor quæ non vetat lex*, nec omne quod licet, honestum esse *L. 144. D. de R. I.* Cavendum etiam ulterius, ne otio ac desidia diffluentes ac ex sudoribus aliorum cuticulæ nostræ delicias parantes fœnus tanquam artem ac professum vitæ genus exerceamus. Malè namque apud profanos æquè ac sacros scriptores usurarii tales die *Mentenierer* audiunt. Juvabit hîc legisse ex *Gregorii Nysseni* Oratione contra usurarios, ea quibus severè eorum mores vitamque perstringit. *Segnis, inquit, ac insatiabilis est vita usurarii: nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed anò in loco confidens immanes domi sue feras nutrit. Vult omnia sibi sine satù & inarata progigni, cui quidem aratrum est calamus: ager, charta: semen atramentum: pluvia tempus: quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget & educat Falx illi est repetitio: area, domus, in qua miserorum fortunas ventilat, & quæ omnium sunt, propria sui ipsius videt. Imprecatur hominibus calamitates, ut coacti ad ipsum confugiant: odit, quibus res sua sufficiunt, & quos mutuum sub usuris petere non conspicit, in hostium numero habet. Assidet turia & foro, ut inveniat, quem fors adversa affligit. -- Circumferet autem oculos, ut miseris escam ostendat: ut ei ob necessitatem in-*  
*biantes,*

hiantes, devorent simul usura ~~hamum~~. Et paulò post: *Aspicis igitur opibus divitiisque abundantem spe domi sua ne unum quidem nummum habere, sed omnes spes ejus in charta sitas, omnesq; fortunas in pactis & conventis; qui nihil habet & omnia possidet. Contrario modo Apostolicis monitis vitam instituens, qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, sed cupiditatis gratia. Eligit enim pauperiem ad nonnullum tempus, ut pecunia instar laboriosi servi operans cum mercede ad ipsum revertatur.* Haecenus Gregor. Nyssenus.

XII. His ita generaliter observatis, dispiciendum porrò, quid Jure Civili ac imprimis Nomothesiâ Justinianeâ circa *determinationem, extensionem, durationem ac transgressionem* usurarum sit constitutum. Ita verò modum statuit usuris Gloriosissimus Imperator, ut nec iniquo fœnore egentium facultates exhauriri videri possent, nec apud opulentos sine ullò lucrò desineret mutuandi voluntas. Quamobrem prudentissimè juxta ac æquissimè pro varietate ac conditione creditorum, debitorum, rerum creditarum, periculi, ac moræ variè ac diversimodè eas determinavit.

XIII. Atque ut à *rebus que creduntur* inchoemus, *Constantinus* Imperator in *L. 1. C. Theod. de usur.* ita statuit, ut si *fruges* mutuo darentur, usurae nomine *tertiam* partem, h. e. in duos modios tertium modium locò usurae stipulari liceret, *pecunia* verò non nisi *centesimam*. Vocatur usura illa in frugibus Græcis *ἡμιολία*. Est autem *hemiolios* explicante *Gellio L. 18. c. 14.* qui numerum aliquem in sese habet, dimidiumque ejus; ut tres ad duo, quindecim ad decem. Dicitur proportio hæc aliàs *fescupla* s. *sesquialtera*, ac inde in *c. 8. caus. 14. quest. 4.* frumentum ad *fescuplum* dare quid sit, ex his liquidò patescit. Ita jure antiquo. *Justinianus* verò in *L. 26. C. de usur.* in specierum fœnori dationibus, h. e. quando frumentum forte, oleum vinum &c. mutuo dantur, usque ad *centesimam* tantum stipulari

lari permisit, nec eam excedere ullo modo licuit. Idem tamen Imperator postmodum in *Nov. 32. 33. 34.* permisit, ut si agricolis fruges aridas hordeum triticum &c. mutuo quis dederit, octavam modii partem in singulos modios stipulari liceret, id quod centesimam usuram liquidò excedit. Nam ex 96. modis frumenti debentur 12. modii, reliqui 4. modii quatuor octavas partes pro usuris reddunt, ut adeò pro 100. modis frumenti rusticus 12½. modios quotannis loco usurarum solvere cogatur; quod usque adeò durum videri non debet, cum frumentum communiter in sementem mutuo accipiant & exinde multiplices fructus referant agricolæ. De reliquis verò fungibilibus liquidis, v.g. vino, oleo, mutuo acceptis & rustici centesimam tantum, i.e. 12. pro centum solvunt. Recepta verò gravior hæc usura in speciebus ob incertitudinem & varietatem pretii ut expressè innuit *L. 23. C. de usur.* cum fieri possit, ut crediti tempore constant magno, solutionis verò, exiguo satis pretio ob annonæ copiam. Pecuniam verò si agricolæ mutuum accipiant, ex alleg. Justiniani constitutione trientes aut non longè majores pendunt usuras, datâ quotannis in singulos solidos siliquâ unâ, quæ est vigesima quarta pars solidi. *Vid. Gronov. de sestert. in fin.*; adeoque hæc centum siliquæ quotannis in centum solidos solvendæ conficiunt annuatim 4. solidos ac 4. siliquas, cum, si trientalis tantum usura solvenda foret, quatuor solidi sine 4. siliquis solvendi tantum essent, quod contra *Barbov. ad Tr. v. 2. Disp. 3. th. 4. lit. B.* annotare placuit, qui simpliciter hoc pro triente habet usuram, *Ecclesias verò & venerabiles domos quadrantes centesimæ, i.e. 3. pro centum præstare & accipere ex Scholiaste Græcò & Harmenopulò probat Godofr. ad L. 26. C. de usur. lit. n.*

XIV. Ratione creditorum disposuit Imperator, ut *Illustribus* non nisi trientes usuras, i.e. 4. pro cent. accipere liceat; fortè quòd facilius careant pecuniâ, ac quæstu minori eâ utantur,



tur, utpote à mercaturâ ac negotiationibus alieni, indeque & minus damni ex mutui datione passuri; vel etiam, quòd minus sit decorum personis talibus, fœnus agitare ac in usuras nimum vigilare. *Mercatoribus* besses, i.e. octo pro centum concessit. *d. l.* Cùm enim major his lucrandi occasio sit, majori cum damnò pecuniâ suâ carent, indeque & amplius quid eis in compensationem fuit concedendum. Desinunt tamen statim deberi bessales hæ usuræ, simulac quis negotiari desinit, quemadmodum nec debentur, si antea non mercator, qui semisses tantum stipulari potuit, mercator factus fuerit. Vid. *Bacbov. cit. l. lit. C.* ubi rationem hujus rei reddit. Reliquis omnibus semisses, (i. e. 6. pro centum) concessæ sunt. Quæ (semisses) *fisco* etiam solvendæ sunt *L. ult. C. de fisc. usuris*, in tantum, ut, si maximè prædecessori ipsius minores solutæ fuerint, illi tamen semisses postea solvendæ sint *L. 17. §. 6. ff. de usur.* Ubi nota, Imperatorem fiscum suum tam illustrem esse noluisse, ut cum reliquis illustribus triente contentus sit. Ex suis contractibus usuras nullas dat fiscus; quodsi tamen in loco privati successit, dare solet, docente *d. l. 17.* Ob *periculum sortis credite*, quod contra naturam mutui hic suscipit creditor, in trajectitia pecuniâ centesimas usuras stipulari permissum est *d. l. 26. C. de usur.* cum olim infinitas stipulari licuerit. Inconstantiam tamen ac varietatem Imperatoris circa nauticas usuras testantur *Nov. 106. §. 110.* Ob *contumacia meritum ac moram graviolem* Centesimæ etiam solvendæ sunt ab eò, qui condemnatus post tempora rei judicatæ, quæ olim erant duorum, ex Justiniani verò constitutione 4. mensium sunt, non solvit *L. 2. C. de usur. rei judic.* Ob *moram* verò in contractibus bonæ fidei admissam *ordinarie* sunt usuræ semisses *d. l. 26.* Quas post dictam Justiniani constitutionem *legitimas* esse, quasque ubique, ubi in Pandectis legitimarum, quæ centesimæ olim erant, fit mentio, intelligendas esse non absurdè statuit *Giphanus*

*phanus ad L. alleg.* ut nec tutor, ob conversam in suos usus pecuniam pupilli hodiè, ad majores teneatur, quàm semisses, cum olim centesimas solvere debuerit *L. 7. §. 10. D. de administr. & peric. tutor.*

XV. Ulterius etiam JPtia Romana cautè providit ne usuræ nimium extenderentur, usuras usurarum omnes prohibendo *L. 28. C. de usur.* in tantum, ut solutæ etiam tanquam indebitum repeti possint *L. 26. §. 1. D. de condition. indeb.* Quod & obtinet, etiamsi factâ novatione id actum sit inter creditorem & debitorem, ut ex usuris residuis fieret fors *d. l. 28.* vel etiam creditor ob moram debitoris pecuniam ab aliò sumere & usuras usurarum solvere inductus fuerit *Berlich Decis. 268. n. 4.* vel denique usuræ unà cum sorte in condemnationem sint deductæ *L. 3. C. de usur. rei jud.* Et rectè. Natura enim non patitur, ut eadem res sit principalis causa & accessio, nec etiam, accessionis accessionem aut commodi/commodum Jurisprudencia admittit *L. 2. §. 5. ff. de admin. rer. ad civit.* quemadmodum nec fructuum fructus, utpote qui non nisi ex fundo aliquo nascuntur. Rectè ergò etiam usuras usurarum tanquam prodigiosam superfoetationem, ut à Molinæo appellantur, damnavit. Committitur verò *anatocismus* (ita uno verbo vocantur usurarum usuræ) tum demum, quando manente eodem creditore vel debitore ab usuris usuræ exiguntur. Quod si verò persona debitoris vel creditoris mutetur, accessoriam qualitatem amittunt usuræ ac pro sorte peculiari reputantur. Hinc pro anatocismo habendum non est, quando (1) de usuris à debitore pupilli exactis usuras solvere tenetur tutor *L. 58. §. 1. de admin. tut.* Nec (2) si fidejussor ex usuris pro reo principali cum sorte solutis post moram usuras exigit; petit enim usuras non ut pro usuris, sondern als von einem ausgelegten Capital/ quasi de sorte solutâ. *L. 50. §. 1. d. mand. junct. l. 12. §. 9 eod.* Vid. *Franzk. L. 2. Resol. 10. n. 90. seqq.* Sed quid? si per cessionem crediti mutatio personarum facta fuerit? Et habetur

habetur pro anatocismò: Cedens enim & cessionarius pro unâ personâ habentur. Vid. *Brunnem. ad L. fin. C. de usur.* aliud dicendum de delegatione. Adeatur *Thesaur. loc. com. Barbos. locuplet. tit. usura n. 9.*

XVI. Magna etiam Jurisprudentiæ Romanæ in hoc elucescit providentia, quod usuras *ultra alterum tantum* deberi noluerit, sive particulatim fuerint solutæ, sive adhuc solvendæ *L. 27. C. de usur. Nov. 121. c. 2.* adeò, ut ne quidem creditor per retentionem pignoris aliquid ultra duplum consequi possit *d. l. 27.* sed quicquid ultra alterum tantum solvitur in sortis solutionem imputandum fit, ac cum alterum tantum simplex cursum usurarum tantum sistat, alterum tantum duplum etiam ipsam sortem perimat, quod expresse ingerunt verba *Nov. 121. c. 1.* ibi: *Si quingenti aurei debeantur, & mille soluti sint, debitor universò debito liberatur.* Idq; non sine ratione sat validâ constitutum. Non enim convenit accessionem ipsâ re principali majorem esse, satisque utilitatis ex re suâ, natura sterili, pecuniâ nimirum redegit creditor, dum alterum tantum lucratus est, cum grave sit, ut in infinitum fructificet pecunia, quæ nec ullum per se fructum ferre potis est. Appositè *Basilius Magnus l. supra alleg. Rusticus spicam accipiens semen rursus sub radice non vestigat; Tu verò fructus habes, nec desinis veterem summam requirere, sine terrâ plantas, sine semine metis incertus cui congreges. Non deerit malum quod ex iniquitate thesaurizas.* Quæ priora verba *P. Matth. L. 4. Hist. Henr. IV. narr. 4. n. 6. in marg.* eleganter quoad sensum in Gallicum sermonem transtulit dicens: *Le laboureur se contente de l'espice, que le grain de bled a produit; L'usurier veut retirer le fruit & ne veut pas que la semence se perde c'est à dire, que le sort principal se diminue.* Atque ita ac ad normam *dict. l. 27. Scabinatus Lipsiensis* semper pronunciavit teste *Carpz. P. 2. C. 3. D. 20. Facultas verò Juridica Lipsiensis* distinguit, an creditor in morâ exigendi fuerit, & ultra alterum tantum non

C

deberi

deberi putat usuras ; an verò *debitor in morâ solvendi*, & ultra alterum tantum peti admittit, easque adjudicat. *Finckelb. obs. 40.* quòd meritò displicet *Tabori tract. de alterò tantò P. 2. art. 6. Carpz.* etiam loco alleg. *def. 28.* statuit usuras, quando ut interesse petuntur, etiam ultra alterum tantum deberi, ac inde in *Respp.* piis corporibus, Ecclesiis v. g. ac domibus Hospitalibus, cum non ut usuras, sed ut interesse petere præsumantur, ultra alterum tantum adjudicandas vult, quod in medio relinquimus. Casus alios, quibus ultra alterum tantum currere creduntur usuræ, *vid. apud Struv. Exerc. 27. tit. 53.* Atque hæc de Jure Justiniano.

XVI. Jure novissimo *Recessuum Imperii* non nisi *quincunces* interesse loco ob moram vel etiam ex mutuò petere licet; quamvis enim fructum sæpenumero majorem ex ipsò rerum nostrarum usu percipere possimus, sat tamen vitum fuit prudentissimis LLtoribus, ne vel ingravescerent usuræ nimium, vel etiam ne idem emolumentum ad otiosos casuumque securos rediret, quod pertinaci industriâ multòque sudore aliis quærendum est, has solum mutuantibus assignari. Atque hæc usura meritò *levior* dicitur in *L. 7. §. 10. in fin. de administr. tut. modesta* etiam vocatur *Persio* in *Satyr. 15.* In *Saxoniâ Electorali* quincuncibus *sexius* florenus additus est collectæ nomine magistratui solvendus. *vid. Carpz. P. 2. C. 30. def. 1. n. 12. seqq.* Hic in *Borussia Ducali* *semisses* usuræ, 6. pro centum inferentes, *regulariter* permittæ sunt. Quibus majores si quis stipulari vel accipere præsumserit, etiam licitis totius anni usuris, quotiescunque id fecerit, cadit, sicubi verò eas jam solverit, in sortis creditæ imminutionem solutio cedit, renunciatione omni creditoris insuper habitâ *Pr. LR. L. 4. tit. 2. §. 1.* Sed, numquid & in *trajectitiâ* pecuniâ, aut specierum, frumenti v. gr. *foenori* datione *semisses* tantum obtinebunt hoc Jure, an verò *centesimæ*? Et videtur hisce locum facere *vocula regulariter* in textu. Sed de hoc arbitrentur *Supremorum Dicasteriorum Jcti*, mihi talia non sumo. *Anatocismus* certè *Praxi Curiarum* nostrarum prorsus reprobatus est. De *metâ* usurarum, quousque sc. eæ currant, nihil Jure *Provinciali* statutum, certum tamen est ex præjudi-

judicatis, Suprema Dicasteria ultra alterum tantum etiam duplicatum usuras indistinctè creditoribus adjudicare. Quod idem etiam sentiunt Johan. Petrus, Surdus, L. 3. *Confil.* 302. nec non Mindanus 2. *de Process.* 73. *m. ult.* statuentes, usuras tamdiu deberi, quamdiu fors non fuerit exsoluta.

XVIII. Consequens nunc est ut de *pœnis* usurariorum manifestorum agamus. Quodocunque ergò major quantitas, quàm quæ jure determinata est, in stipulationem deducta ac soluta fuerat, creditores olim pœnâ quadrupli coerebantur L. 2. *C. Th. de usur.* Jure Justiniano nullam de superfluo habent actionem, vel si acceperint, in sortem imputare debent scœpe *alleg.* L. 26. *C. de usur.* Si verò excessus improbius fuerit, & creditor foenus constanter ac quasi artem quandam exercuerit, famæ jacturâ plectitur L. 20. *C. ex quibus caus. infam. irrog.* Jure novissimo Recessuum Imperii mulctatur quoque quartâ parte sortis. *Reichs Abschied. de anno 1577. rubr. von wucherlichen Contracten, in Electorali Saxoniam* amissione totius sortis punitur, imò etiam extraordinaria carceris aut relegationis pœnâ afficitur *Carpz Prax. Crim. P. 2. quest. 92.* quam ipsam carceris vel relegationis pœnam etiam Serenissimus Prussiæ LLtor in *Jure Provinc. reviso loc. supra all. §. 2.* iis severè interminatur. Jure Canonico Lombardi hi ac Judæi baptisati à communione arcentur, *c. 3. x. de usur.* ad testimonium dicendum non admittuntur nec testamentum facere possunt *cap. 2. de usuris in VIco.* imò Christiana sepultura iis denegatur *c. 3. x. eod.* nisi restituerint vel cautionem præstiterint de restituendis usuris. Acquisita tamen ex usuris restituere non tenentur *Wammes. Confil. 593. n. 3.* Istud etiam speciale est, quòd contra se ipsos codices rationum edere teneantur *Clem. 1. h. t. Vid. Gail. obs. 106. n. 12.* Quæ omnia etsi ad sensum Juris Canonici de iis omnibus, qui qualescunque usuras etiam Jure Civili licitas capiunt, exaudienda sint; nostri tamen communiter ea de improbis & excessivas usuras capientibus foeneratoribus justius interpretantur.

XIX. Ac tantum de usuris. Cum quibus malè à nonnullis confunditur *interesse*, cum multis tamen modis ab iis differat. *Primo* enim interesse ad quamvis obligationem sive dandi, sive faciendi pertinet & quarumvis rerum nomine præstatur: usuræ verò tantum in obligationibus dandi rebusque quantitate constantibus locum habent. (2) Id quòd interesse simul ac semel; usuræ per intervalla ac annuatim petuntur. (3) Interesse scœpè variat pro varietate casuum, ut modò plus, modò minus, modò

ad nihil interfit *L. 13. D. de re jud. L. 112. § 1. D. de V. O.* indeque (4) quanti sua interfit, cum hoc facti sit, præcisè actor probare cogitur, in quò si deficit, ad exiguam scèpè summam res deducitur *L. ult. de Præst. stipul. §. non solum Inst. de V. O.* usuræ ex adversò certæ ac determinatæ sunt, nec requiritur, ut petitor doceat, reverà sibi tantum emolumentum decessisse, aut se tantum damni attraxisse; etenim, cum ob præsumtum interesse legislator usuras jam definiverit, sufficit conventionem aut moram probari. Celebratissimus ille suo maximo merito *Carpzovius L. 4. Resp. 50. n. 7.* in hoc quoque ponit differentiam usurarum ac ejus quod interest, quòd usuræ ultra alterum tantum, non exigantur, interesse verò & ultra illud ascendat, laudata in hanc rem *L. 3. vel potius 2. §. 8. de eò quod certo loc.* Sed præterquàm, quod in *d. l.* taxatio ejus quod interest tantum ultra legitimum usurarum modum, hoc est, ultra centesimas procedere dicatur, non ultra alterum tantum ut vult *Carpzovius*: si tamen vel maximè hoc *d. l.* probaretur; *Lex tamen unica C. de sentent. que pro eo, quod interest Sc.* tanquam postèrior hìc magis attendenda foret, quàm distinguitur an lis in judicium deducta certam habeat vel quantitatem ut habent res fungibiles vel naturam certam ut corpora & individua Jctis species dicta, domus v. g. aut Pamphilus; ac tùm æstimatione ejus quod interest terminos alterius tanti neutiquam excedere potest *d. l. un. C. v. Sancimus.* Ubi verò lis in judicium deducta æstimationem, quantitatem ac naturam certam non habet, ut est obligatio ad factum *L. 13. §. 1. D. de re jud. emtio jactus testes L. 12. D. de re jud.* tùm demum alterum tantum excedere licet, omneque damnum quod revera datum est, vel lucrum quod interceptum omninò refarciendum, adeò ut licet decuplo principali debito sit majus, nihilominus integrum præstandum sit, ut est in *L. Julianus 13. pr. §. 1. ff. de A. E. L. 12. ad L. Aquiliam.* In hoc quoque differentiam constituit *Carpzovius* inter usuras & interesse, quòd usura ex morà & conventionem debeantur: interesse ex solà morà. Sed, præterquàm quòd interesse, etiam ob alia facta illicita culpam, dolum, contumaciam, non solam moram petatur *Strauch. Disp. 18. ad π. apb 17.* ignorari non debet, etiam ubi nihil, nedum mora in debitore argui potest, interesse justè peti posse. Sic si res emtori bonà fide emta ac vendita ei evincatur, venditor emtori ad id quod interest evictionem secutam haud esse tenetur, cum tamen nihil sit in quo vel injuste fecisse vel cessasse dici possit *L. 8. l. 60. ff. de evict.*

F I N I S.

Königsberg, Diss., 1686-94

ULB Halle 3  
004 356 780




R


H.

WON









B.I.G.

Farbkarte #13

1694, 3  
 34 27  
 JURIDICA,  
 S, EA.  
 EJUS QVOD  
 FFERENTIA,  
 r. Provinc. Pruten.  
 AUSPICIIS  
 TATE MAGNIFICI,  
 A PATRIA,  
 ORDINIS,  
 FACULTATEM  
 rum Censura  
 S E S  
 S Schönfeld/  
 D.  
 DENTE  
 CHIMMELPFENNIG,  
 ruff.  
 O. R. M DC XCIV.  
 confvetis.  
 REUSNERIANO.

